

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Adiutorium m
cum fontibus proximo et primo

Habens intellectum, curet omnino ne taceat;
habens rerum affluentiam, a misericordia non torpescat;
habens artem qua regitur,
usum illius cum proximo parciatur;
habens loquendi locum apud diuitem,

pro pauperibus intercedat.

Talenti enim nomine cuilibet reputabitur,
quod etiam minimum accepit.

Gregorius in quadam omelia.

Praeterea, Gregorius dicit, in quadam homilia:
Habens intellectum curet omnino ne taceat;
habens rerum affluentiam a misericordia non torpescat;
habens artem qua regitur,
usum illius cum proximo parciatur;
habens loquendi locum apud diuitem,

pro pauperibus intercedat,

talenti enim nomine cuilibet reputabitur
quod vel minimum accepit.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*,
71.1.2 (P. Caramello ed., p.345).

→ Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur,
quod uel minimum accepit.
Alius namque accepit intelligentiam,
praedicationis ministerium debet ex talento.
Alius terrenam substantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus.
Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit,
sed tamen didicit artem qua pascitur,
ipsa ars ei in talenti acceptione reputatur.
Alius nihil horum assecutus est,
sed tamen fortasse familiaritatis locum apud diuitem meruit,
talentum profecto familiaritatis accepit.
Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.
Habens igitur intellectum, curet omnino ne taceat;
habens rerum affluentiam, uigilet ne a misericordiae largitate torpescat;
habens artem qua regitur,
magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo parciatur;
habens loquendi locum apud diuitem,
damnationem pro retento talento timeat,
si cum ualet non apud eum pro pauperibus intercedat.

← Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 9.7 (CCSL 141, R. Étaix ed.,
pp.63-4, ll.129-145).